



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Belgica. Sociorum numerus, ingressus, interitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66514)

PROVINCIA BELGICA.

Sociorum numerus, ingressus,
interitus.



*M*issionibus Gandensi, & Insulen-
si redactis in Collegia, Domicilia
societatis crevere ad tredecim.
socij ad trecetos septuaginta se-
ptem. Tornaci duo de sexagin-
ta. Duaci vnus è quadraginta. Leodij quin-
que & triginta. Tres minus Audomaropoli.
duo de triginta Louanij. totidem Antuerpie.
Traiecti. & Valencenis octonidemi. Burgis,
& Ispris vno minus, Cortaci sexdecim, Gan-
dau quindecim. Insulis tredecim. In sede Bru-
xellensi, cui missio castrensis adnectitur vnde
triginta. in Montensi domo septem. Duo mis-
si in Hollandiam, Præter hos numerandus P.
Prouincialis cum socijs duobus altero sacer-
dote, altero Coadiutore. Adlecti vnus & tri-
ginta. ex his duos dedit Antuerpia. Brunel-
le quinque, Sodalitas Duacensis quindecim.
Mortui sex. Inter hos, & inter illos nume-
randus Balduinus Cuuillonius P. Cuuillonij
theo-

theologi, qui obijt in Societate, fratris filius,
 vnicus heres parentum diuitem, atque nobi-
 lium, qui multos ante annos decesserant, pene
 ab infantia semina ostendit insignis cuiusdam
 pietatis, quæ cum ipso creuit. annos natus no-
 uem audita sanctorum aliquot Patrum vita,
 eam persuasit condiscipulo paris ætatis. quo
 comite contendit in collem extra ciuitatem,
 quasi in solitudinem, vt ibi Eremitam ageret.
 postridie inuētus à suis magno dolore domum
 reductus est. Habitabat cum ecclesiastico vi-
 ro. apud eum forte anno sequenti Pater è so-
 cietate, qui conciones Christo nascenti, atque
 resurgenti præuias habebat ad populum no-
 uitio comite hospitatus est. Balduinus horum
 vita, consuetudine, moribus obseruatis societa-
 tem optare cepit: quærit à nostris admissio-
 nem. non impetrat. contendit à tutoribus, vt
 nos saltem in vestibus imitari liceat, non per-
 suadet. nihilominus animi, atque propositi te-
 nax post triennium in scholis triuialibus ex-
 actum, Duacum venit, vt negociũ suum perficiat.
 dum differtur, mirum in modum, & ma-
 gnis in vtroque progressionibus, coniungit cõ-
 studijs litterarum studia pietatis. multa sane
 in vtroque genere de ipso dici possent, qua
 erant in adolescente illius ætatis admiranda.
 erat insignis pudicitia virginali, eamque, vt
 voto sancire liceret sæpe, & instanter petuit à
 patre, quem animi ductorẽ habebat. in signis
 contemptu

contemptu mundi, & zelo animarum. pro viribus omnia exequabatur opera misericordie, obibat xenodochia, egros verbis solabatur, & eleemosynis. Sodales suos spiritualibus colloquijs, exemplo, honesta quadam vi impellebat ad pietatem, pauperes studiosos, maxime qui se deuouerant societati, liberali stipe, & vestibus interdum sibi detractis adiuuabat, sentiebat enim, & quemadmodum suis libris, & aduersarijs; ita cordi inscripserat sententiam illam, quam frequentissime vsurpabat, Veh vobis diuitibus, quia difficile est post delicias sequi delicias. id circo eas, & vehementer oderat, & quasi inimicas, profuse effundere cepit in pauperes. ex quo opportune, importune flexis genibus, vberrimis lacrymis obsecranti, vt in Societatem reciperetur, & asserenti, nisi ingrediatur eo anno, se nunquam ingressurum, respondit P. Provincialis nobis aliquo modo consulendum Societatis honori, dari amicis querimonie, aduersarijs obtrectandi materiam, si adolescentem admittamus inuitis consanguineis, & videamur eius non quaesuisse salutem, sed fortunas. longum esset explicare quibus artibus, laboribus, praelys & sorore, atq; a tutoribus profectus Insulas ingrediendi potestatem extorserit, quo gaudia victoriae nuncium Duacum reportauerit, & iter ad Tyrocinium arripuerit. Urbem egressus pecuniam quancunq; habebat dedit vni ex no-

6 Aris,

stris, & accipere voluit ab eo viaticum non
 tanquam proprium, sed tanquam datum ex
 obedientia, quare paulo post occurrenti sode-
 li, rogantique, vt in sui memoriam pietam ta-
 bulam Sodalitati omnium Sanctorum relin-
 queret, vt ante proposuerat. venisses inquit,
 citius? modo sum factus pauper in Societate
 IESU. nec habeo amplius aliquid proprium.
 in domo probationis cum primum proposita
 sunt vestes Societatis, vt eas indueret, mira-
 mentis suauitate perfusus, saluete, inquit, au-
 gusta eorum paludamenta, qui de mundo triu-
 phauerunt. ex quorum conspectu longe plus
 haurio voluptatis, quam vnuquam ex aliarum
 vestium pompa degustauerim, genibus flexis
 imagines omnes, iconicas bullas, ipsas B. Vir-
 ginis preces horarias, atque rosarium, cetera
 denique instrumenta pietatis aliud acceptu-
 rus detulit ad magistrum nouitiorum, vt ni-
 hil, inquit, vlla ratione dicere meum possim,
 vt nihil quamuis diuinum habeam, nisi a ma-
 nibus obedientie, hoc est Dei. ita repente pro-
 fessus est virtutes omnes, coniunctionem cum
 Deo, custodiam legum, modestiam, reuerentiam,
 humilitatem, studium mortificationis, chari-
 tatis; vt toto eo tempore eas non acquirere,
 sed acquisitas, & perfectas ostendere videretur,
 tanti aculei, tantus ardor in verbis ple-
 nis grato animo, pietate, seruore, vt quasi An-
 gelus missus e Caelo alios ad perfectionem co-
 geret

geret potius, quàm inuitaret. quare cum consumatus in breui expleuisset tempora multa maturus Cælo, cuius flagrabat desiderio in febrim incidit. septem diebus ostendit quantū sua virtus in infirmitate perficeretur, atque illustrioribus eius documentis relictis obdormiuit in Domino.

Auxilia proximorum.

Louanū, cum hostis prope esset ad mœnia, Vrbs sine vlllo præsidio, confugiebant plurimi ad tutiora oppida. constitere nostri freti Deo, quodque intelligerent omnium oculos ita esse coniectos in Collegium; vt in nostro discessu maximus futurus esset metus dissoluendæ ciuitatis. quare inter arma continuatę lectiones, exemplo, atque stationibus in nostras vires obitis, adiuti ciues, nouumque ciuitati cōscriptum præsidium, sodalitas militaris Sanctissimæ Eucharistiæ. iam numerat trecetos. iurant publicè fidem catholicam, seque illi sacramento militari obligant, dum spondent se perpetuo pro auita religione pugnäturos. hoc eorum institutum æquè pium, generosum, per honorificum, illæ vero diebus festis exercitationes: mane tractant res diuinas. post meridiem gladios. & vero primus dies, quo fulgentes armis, & preciosis vestibus insignes ordine processerunt ad ædem summam, fuit popu-

lo gratus, & supra fidem admirabilis. cum sacrum tectum multitudinem non caperet. erigendum fuit altare sub odae à D. Cancellario, qui idem summæ Aedis Decanus, & Vicarius Archiepiscopi Melchiniensis, sacrum per actum, habita concio, benedicta signa militaria, atque arma summa populi probatione, & plausu.

Burgis cum fructu lustrate scholæ pauperum, & conciones diebus feriatis habite quinque locis. Antuerpiæ viri quatuor, restituerunt partam iniuste pecuniam, quæ summam excedit trium millium. Demon spectris varijs Leodij vexabat adolescentem: matronam etiam extractam è lecto Burgis raptabat per cubiculum. ab hac sacramento confirmationis, ab illo confessionis expulsus.

Vbique multis plectendis capitali supplicio nos ter labor, atque sedulitas salutem peperit, dum illo extremo tempore patientiam, persuasit, aut fidei veritatem. Ipris hæreticus prædo alias præfractus, victus est charitate Patris prociðetis ad genua, & cum lacrymis propriam ab eo salutem implorantis, propriamque illi animam commendantis. miser qui inter suos huius diuinæ virtutis, neque adumbratam speciem vniquam viderat, motus nouo spectaculo, cesit, magnumque præmium cedendo retulit, gremium Ecclesiæ, spem cæli. Talia exemplis fecerunt, vt Senatus Burgensis hoc præmium

num anno vocare nos ceperit ad supplicia
ciuum.

Cortaci illud fuit insigne . modica scintilla
litis magnum inimicitarum incendium exci-
tauerat inter duo capitula . illi extinguendo
boni omnes diligentissime clam, palam, publi-
ce, priuatim insudauerant irritis conatibus .
hi antiquitatem, & opes, illi iurapatronatus
allegabant, & his vtrunque nixi propugnacu-
lis nihil cadere, nihil remittere de iure suo vo-
lebant . flamma interim sumebat ex ipso de-
cursu temporis incrementum . fecit Deus, vt
intelligerent nostros neutrae parti fauere, fa-
uere tantum veritati, atque paci; quare Gan-
dauo Consiliarium cum aëtoribus vtriusque
partis accersunt, qui Patribus Societatis ve-
lut arbitris controuersiam disceptent, atque
dirimant . cæsus triduum ad ædes nostras co-
gitur: expendantur rationum in vtramque
partem inclinantium momenta. adsunt nostri,
aquam iniiciunt flammis irarum, quæ erum-
pebant interdum ita vehementer, vt oculis
etiam ardentibus lacrymas non semel extor-
serint . denique maxima ciuium gratulatio-
ne, & nostrorum studiorum commendatione
deposita sunt vtrunque odia, constituta pax,
& reuocata charitas .

Erepti à sæculo, aut ab hæresi.

Tornaci ab Aegypto in religionem traductæ sex virgines Vallencenæ capita sex, Bruxellis duodecim, Duaci plures quindecim. Antuerpiæ abiurarunt hæresim triginta, Tornaci quinque; Gandavi filia cuiusdam Episcopi Mœmmonistarum, Bruxellis duodecim. inter hos adolescens enutritus in Holando cælo, & hæresi. conseruabat exiguas quasdam catholicæ fidei scintillas, quas ab Auo pene infans hauserat. eæ excreuerunt intantum fidei telum, vt clam parentibus, huè ex Holandia fugerit, quo pleniorẽ cognitionem ecclesiæ, & eius sacramenta perciperet. nouit Dominus qui sunt eius.

Explicatio Catechismi.

Antuerpiæ septimum iam annum catechismum paruulorum summis, i. finis-que precibus, sed irritò conatu apud vtrumq; magistratum vrgebamus. nunc tandem concessus est, & locis octonis institutus, magno concursu, maiore voluptate omnium. Bruxellis omnino iucundum est audire pueros, qui tũ plenè fari non possint, illius vnũuersa capitã summa felicitate recitandò balbutiunt. Gandavi tribus locis mille pueris explicatur in diebus

diebus festis, at vero duobus profestis in hebdomada traditur variarum scholarum discipulis, quos certo loco præceptores ipsi congregant. Cortaci mirum in modum promotus; nam procurantibus nostris, sancitum est è Senatus consulto, ut inuentus vniuersa ab anno octauo, ad sextum decimum vicatim conscribatur per domos. patres familias diebus festis cogant suos ad audiendum. si semel neglexerint, multentur certa pecunia; eà secundo, & tertio duplicetur, quarto vero cum exilio commutetur. tanta affluxit multitudo, ut pro sexus, etatisq; discrimine quatuor locis frangatur panis paruulis petentibus. Vallenchena semper assistunt senatores duo è magistratu, qui patrocinantur auctoritate, munusculis animant pueros, heros, atque parentes in officio continent, dum statis diebus rationem absentium puerorum ab ijs exigunt, & multant vel etiam plectunt negligentes.

Congregationes, & Scholæ.

Burgis Congregatio Deiparæ Virginis; quæ constat ex adultioribus excreuit ad centum sexaginta. Eadem Louanij insigni, atque imitanda vtilitate designauit è suis quinque, qui cuiusque mensis initio in scholis trivialibus pietatem procurent, & pueros confitentes audiant. Ex Duacensi, sodalis occur-

rentem sibi in platea pauperem, scabieque horridum perduxit in proprium cubiculum, in proprium lectum, & cæteris omnibus charitatis officis prosequutus est.

Gandauense Collegium hoc anno scholas aperuit. Vallëchenense quidem anno superiore, & numerat auditores ducentos. Audomarense sexcentos septuaginta, Leodiense septingentos. Duacense mille ducentos, ex quibus centum creauit magistros artium.

Temporalia quedam augmenta.

PRæter missiones, quas initio versas in Collegia diximus. Burgis exhibitus dialogus ita delectauit ciues, & magistratum, ut is, qui paulo ante florenos ducentos donauerat, se alios quingentos, & in singulos annos assignaturum promiserit. Traiectense quoque Collegium, cuius alienum æs gubernator soluendum recepit, auctum est à Senatu ducentis florenis annuis, Louaniense vero quingentis liberalitate matrone nobilis, quam ad restituendam supellectilem Collegij, vt imitarètur aliæ non ita locupletes ornatum muliebrem contulerunt, torques aureos, & monilia. Cortaci præter alia munera acceperunt aulæ raræ elegantie sacelli paretibus circumquaque vestiendis. Antuerpiæ in tanta ædium amplitudine scholas, vt explicaremus, vel permu-

taremus,

tāremus, structuræ ratio non permittebat; erant angustæ, eo loco positæ, quo cæteris domesticis muneribus impeditenti non minus afferrent, quam ab ijs acciperent. ijs ipsis non exiguo incommodo erant officinæ tinctorum Collegio aduersæ. has officinas hoc anno creditores oppigneratas sibi prætoris auctoritate occupauerant. Societas supplicauit senatui, nobis, suæq; iuuentuti comodaret, ædesq; scholis extruendis assignaret. is paulo ante nostram inopiam duobus millibus leuauerat, tamen grauisimo senatusconsulto eas duodecim millibus emit. ex quo gymnasium magnificè extruitur media vrbe, loco celebri, quem nunquam sperasset aliquis venturum in potestatem Societatis, cum sit à Collegio nostro intermedia frequentissima platea disiunctus; inuentum præ foribus antiqui operis torreuma. Deipara Virgo filium gestans scribenti puero scalprum librarium, graphiarium, & atramentarium porrigebat. mirum Antuerpiæ, vbi contra sacras imagines pugnatum est, ac debellatum ad internecionem, tandiu superuixerint illæ effigies loco publico præ foribus viri hæretici, in ipso conspectu templi nostri, quo tot annis sacrilegè abusus est minister hæreticus. fecit pia mater, vt intelligeremus locum illum à se conseruatum, & traditum esse Societati.

Mis-

Missiones.

Immiscui Collegiis Sedem Bruxellensem ;
 ad quam Castrensis pertinet . ea quanti la-
 boris fuerit, quantique fructus ex ipso nomi-
 ne castrorum intelligi fatile potest. viuendū,
 & agendum inter arma; & cum militibus id-
 est, (vt corporis incommoda præteream, quæ
 omnem excedunt fidem) vbi licentia suum ha-
 bet imperium, vbi nulla lex, nulla ad bene vi-
 uendum auxilia, sed contra summa impuni-
 tas, omnis turpitudinum, atque vitiorum col-
 luis: vel animo seruire cupias, vel corpori;
 vno loco propositas habes omnes functiones
 misericordiæ, quas alibi sparsim reperies; in
 ijs tales nostri se præstiterunt; vt dix illis ma-
 teria bene agendi superfuisse videatur, vt pru-
 dentiores nullum stipendium à summo exer-
 citus ductore melius collocatum dicerent, quã
 quæ in nos conferebatur eleemosyna. & ipse
 ductor fænerari se nomine Regis Philippi di-
 ceret eam pecuniam, qua alebat in exercitu
 Patres Societatis. Clausit castrensem nostro-
 rum operam, & mortè sua annū hunc luctuo-
 sum Belgio reddidit Alexāder Farnesius Dux
 Parmæ, atque Placentiæ: Imperator non im-
 par antiquis, ætatis verò suæ nulli secundus.
 opus non annalium nostrorum, sed grauis esset
 hystoriæ stylo persequi bellicas ipsius laudes;
 vir-

virtutes imperatorias, res præclare gestas, quam multa, quamquam insignia reliquerit vestigia suæ fortitudinis, pietatis, fidei erga Regem, ceterarumque virtutum, quæ deceant eximium Ducem christiani exercitus. amavit certe Societatem in primis, numquam castra movit sine nostris hominibus, quos summum robur sui agminis appellabat. is semper ostendit omnia amoris præcipui argumenta, is potissimum suum semper animum credidit, ex quo Bruxellis tertio septembris in eorum manibus mortem obiit, ad quam paulo ante generali confessione vitæ totius, toto hoc anno mēstrua perceptione Eucharistiæ, frequenti exercitatione piorum operum diligentissime se comparauerat: quippe qui mente quadam missa de Cælo indubitanter sentiebat, & cum vacationē ardentissime à Rege petitam impetrare non posset, dictitabat sæpe, cito reddendus terræ est saccus corporis mei, vacandum est animo: id quando non licet per Regem Philippū, pro Deum Optimum Maximum, vt saltem hos meos qualescunque labores numeret pro studijs illis, quibus mihi esset salus animæ comparanda. assequetur vt speramus à Deo. nam quemadmodum ad tuendam sui nominis immortalitatem contra impetum sæculorum ininitum vallum opposuit res, consilio, manuque præclarissime gestas, ita ad diripiendum cælū magnas vires attulit, pia opera, telum fidei susceptæ

susceptæ

suscepta pericula, diuturnas contentiones corporis, atque animi, sanguinem sæpe fusum, ac vitam denique pro catholica religione expositam. Groninga alterius partis Frisæ occidentalis caput est. regio vberissima, sed vastata ab hæreticis, sed exhausta bello duodecim annorum, quod suis expensis pertulit, etiam circumdata ab hæretico hoste, qui quoquo versus omnia prope oppida, & propugnacula occupavit. hic bini Patres ab hinc circiter annos duos, alter in vrbe, alter in vicinis oppidis, & arcibus munera Societatis obierunt solitis missionum operibus, labore, & fructu etiam maiore; quippe inter hostes, & inter hæreticos est in eadem regione Stenuica oppidum nõ procul à mari ditiori transinsulanæ finitimũ, exiguum quidem, sed hætenus militum nostrorum præsidio munitum. huius gubernator cum imminere sibi obsidionem præcognosceret, impetrauit per litteras, vt eo se noster sacerdos transferret. eius aduentus visus est afferre singulis novas vires, nouum præsidium, magnumq; commeatum in arcem, celebratus plausu omnium ordinum, quos ille ad seriam peccatorum detestationem hortatus, plurimos audiuit confitentes, & sacrosancto corpore Christi refecit. secuta statim est obsidio, & oppugnatio vehemens, ab hostibus admota grandiora tormenta supra quinquaginta, è quibus enei globi immissi vno die plures; toto illo
 tem-

tempore plures septemdecim millibus, propugnacula non modo quassarunt, sed euerterunt, adhibiti etiam cuniculi, quibus muros disiecerunt à radicibus: quare postremo die cominus pugnandum in aggeribus menium, iniqua admodum conditione, hæretici siquidē abundante multitudine sæpius fessis, oppugnatores integros suffecerunt; nostris non ad quietem non ad cibum capiendum, non ad liganda vulnera spatio relicto semper consistendum, & pugnandum in eadem statione fuit. iacebant circum quinquageni, & octogeni interdum socij hastis traiecti aut glandibus plumbeis, strati, vel cæsi vulneribus. moribundi interdum à propugnatoribus calcandi pedibus erant. mædebant suo ipsi sanguine, neq; tamen loco moti, nullum signum timoris, nulla mentio deditiois, nulla querimonia. sed tātus erat ardor pugnae, vt quasi cresceret cum periculis animus; arma, galeas, cæsorum capita, & truncos ipsos in hostem conijcerent. fuit, qui ter euallo deportatus exanimis semper vt ad se redijt, redijt ad vallum. donec ibi ad se non rediturus fortissimè cecidit. fuerunt qui cum stupore omnium sublati vi tormentorum in aera, atque delapsi incolumes nihil moti tanto periculo persisterent in pugna, scæminæ, quasi naturam exuta, non commouebantur prope cadentibus filijs, cadente marito, sed tela ministrabant pugnantibus, ipsæ tormenta explodebant

debant

debant in hostem. non fuit in tanto numero vulneratorum qui non Patrem accerseret, qui Patrem, si loqui posset non appellaret, ea erat vox prostratorum, ea morientium, Pater, Pater, se felices arbitrabantur, si ipsum conspicerent antequam efflarent animam. Pater sine cibo, sine quiete circumcursabat, monebat, hortabatur, benedictionem impertiebat, confidentes audiebat, interdum non sine admiratione, cum cerebrum efflueret, & spiritus ad plenam distinctamque confessionem superesset, nox oppugnationem opportune diremit. ceciderant e nostris milites praesidiarii trecēti. reliqui propter gravitatem vulnerum, propter fusum sanguinem, aut propter diurnos labores arma non regebant manibus. Capitanei, duobus exceptis, omnes aut interfecti, aut sauci, commeatus fere nihil, tormentarii pulveris vix duae librae supererant: strata circummēnia, patentem aditum hosti praebant in arcem. quare teneri amplius, neque ad horam poterat caesa hostium supra duo millia; chiliarum unus, Capitanei decem. quare dux hostium Mauritius deterritus tanta caede suorum, constantia oppugnantium, quorum statum meliorem esse putabat, de pace agere cepit cum oppidanis: non conveniebant, quia ille inter primas condiciones Iesuitam sibi tradi poscebat: quod adfuisse in carcere Reginae Scotiae, quod mortem intentasset Reginae Angliae.

pro

pro quo capiendo se dicebat non grauatè totū exercitum fuisse profusurum. hi malle se profitebantur omnes pugnando cadere, quam Patrem prodere. cumque reditum infecta pace pararent; callidus hostis expūxit articulum: nostri vero Capitanei fraudem subodorati, Patris incolumitatem separato articulo sanciri voluerunt. sed nequaquam satis illi cauerūt: nam honestis conditionibus transactis cum ingressi hostes essent in oppidum, & milites nostri discederent cum sarcinis, vbiq̄ue Iesuita diligentissime perquiritur. ille re audita, vltro se offert quærentibus; nec mora; vincitur catenis, deducitur ad concilium, de rebus varijs, atque indignis interrogatur, sed ita perturbatè, atque confusè; vt cum alio alij errore nomen, patriam, tempora, permutarent, facile omnes eluserit, cumque eum nominatim quærerent, esse tamen alium opinarentur. coniicitur in carcerem apposita custodia lic̄torum. aduolat minister hæreticus, & quoniam breuī Patrem suspendendum audierat, hortatur pluribus, vt nouum euāgelium agnoscat. respondit Pater, quæ videbantur: sed animaduertit Ministrum ita hebetem esse, atque rudem, vt rationes non intelligeret, nihil haberet noui, semper eadem prescripta, atque concepta verba iterando inculcaret identidem. disce à me veritatem. Pater petulantia, atque impudentiæ pertusus aperto capite suos homini canos ostendit,

ostendit, & voce, magno impetu, elata, tu, inquit, barbatule ignorantissime rerum, vel ab hinc, vel disce à me multo saniore veritatem, verborum sonus, & gravitas ita miserum deterruit, ut neque verbum respondere ausus confusus discesserit. gloriabatur tamen quod cum iesuita disputasset. Vulgato interim periculo Patris, ira ardentes nostri milites affirmabant se sine Patre non egressuros. palam oppidani querebantur, utrorumque Duces ita instanter egerunt cum Comite Mauritio, ut ad perfidie suspicionem vitandam Iesuitam, dimitti cum catholico praesidio iusserit. Pater ereptus vinculis, incredibili concursu amicorum eo maiore omnium gratulatione, quo prior periculo fuerat, adiit Comitem Mauriti-um, ab eoque petijt mandaret, sibi restituere equum suum, pecuniam, breuiarium, variū quidem, atque immodestè ab eo confessu lusum in breuiarium, in Societatem. verum ad omnia Pater ita appositè respondit, eos interdum aperta veritate conuincendo, interdum modestè pudefaciendo, excitando interdum risum, interdum admirationem, significatione charitatis, scientiae, modestiae, prudentiae, ut omnibus iam victis, atque obmutescentibus, Comes Gulielmus Maurij cognatus germanus, pessimus licet haeticus palam dixerit, ne speret quisquam se reportaturum victoriam a Iesuitis. apud quos vix illitteratum, stupidum
 certe

certe nullum inuenies . Ex quo suis rebus recuperatis honoratior ab ijs discessit .

Hoc anno patefactus aditus in Hollādiam , duo missi . eorum alter vix è portu soluerat cum leuatur sarcinulis , crumena , pallio , galeo : vix primos euasit , cum incidit in secūdos , à quibus rebus plane omnibus calceis , indusio ipso exuitur & oneratur verberibus , super iniectis scrutis aliquot sordidissimis , quæ quidā ex ijs abiecerat , seminudus deflexit in vicinam patriam . petit à matre eleemosynā : sed ab ea abūcitur quasi scurra , vel amens . discessit gaudens , quod dignus habitus esset ab ipsa Parente pro nomine I E S V contumeliam pati . peruenit tamen Duce Deo ad stationem destinatam . sunt hi catholicis magno solatio , atque præsidio , sperantur fructus quotidie maiores , quales etiam à missione Montensi percipiuntur .

